neceſſe eſt, paterno [1] teſtimonio [2] pro ejus ſatisdatione ſufficiente, ipſe, qui datus eſt, ad curationem perveniat: ita tamen ut in provinciis apud præſides earum, præſente eis tam viro religioſiſſimo locorum Antiſtite, quam tribus primatibus, actis intervenientibus, tactis [3] ſacroſanctis ſcripturis, depromat, *omnia ſe recte & cum utilitate furioſi gerere, neque* [4] *prætermittere, quæ utilia eſſe furioſo putaverit, neque admittere ea, quæ non utilia furioſo eſſe exiſtimaverit:* &, inventario [5] cum omni ſubtilitate [6] publice [7] conſcripto [8], res ſuſcipiat, & ſecundum ſui opinionem diſponat ſub hypotheca rerum ad eum pertinentium, ad ſimilitudinem tutorum & curatorum adulti. † Sin autem teſtamentum quidem parens non confecerit, lex [9] autem curatorem, utpote agnatum, vocaverit: vel, eo ceſſante, aut, non idoneo forſitan exiſtente, ex judiciali electione curatorem ei dare neceſſe fuerit: tunc ſcil. & in provinciis apud [10] præſides cujuſcunque provinciæ, & virum religioſiſſimum Epiſcopum civitatis, necnon tres primates creatio procedat: ita ut, ſi quidem curator ſubſtantiam idoneam poſſidet, & ſufficientem ad fidem gubernationis, ſine [11] aliqua ſatisdatione creatio procedat. † Sin [12] autem non talis cenſus ejus inveniatur; tunc & fidejuſſio in quantum poſſibile eſt, ab eo exploretur: creatione omnino, ſacroſanctis ſcripturis propoſitis, in omni cauſa, celebranda: ipſo autem curatore, cujuſcunque ſubſtantiæ vel dignitatis ſit, præfatum ſacramentum pro utiliter rebus gerendis præſtante, & inventarium publice conſcribente: & hypotheca [13] rerum curatoris modis omnibus adhibenda, quatenus res poſſint furioſi undique utiliter gubernari. Dat. Kal. Sept. *Conſtantin.* LAMP. & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De liberis furioſi, vel dementis nuptias contrahentibus.

28. Idem A. Juliano P. P.

TAm dementis [14], quam furioſi liberi, cujuſcunque [15] ſexus, poſſunt [16] legitimas [17] contrahere nuptias, tam dote, quam ante nuptias donatione a curatore [18] eorum præſtanda [19]: æſtimatione tamen in hac quidem Regia urbe excellentiſſimi præfecti [20] urbi, in provinciis autem virorum clariſſimorum earum præſidum vel locorum Antiſtitum, tam opinione [21] perſonæ, quam dotis moderatione [22], & ante nuptias donationis, ſtatuenda: præſentibus [23] tam curatoribus dementis, quam furioſi, necnon his, qui ex genere [24] eorum nobiliores ſunt: ita tamen, ut nulla ex hac cauſa oriatur, vel in hac Regia urbe, vel in provinciis jactura ſubſtantiæ furioſi, vel dementis, vel mente capti: ſed gratis [25] omnia procedant: ne tale hominum infortunium etiam expenſarum detrimento prægravetur.

De his qui parentes 1. aut liberos furioſos negligunt.

In AUTHENT. ut cum de appell. cog. §. ſi quis de prædictis parentibus furioſus. coll. 8. tit. 16. al. 12. ſeu Novell. 115. c. 3.

LIberi [26] *furioſi, qui curam ejus negligunt præbere, tam exheredatione digni ſunt, quam aliis pœnis legitimis. Nam ſi quis alius, atteſtatione ad eos miſſa, cum adhuc negligant, in domum ſuam eum ſuſceperit, & procuraverit: ex hoc erit ejus ſucceſſor legitimus, licet teſtatus eſſet etiam in liberos forte: manentibus tamen aliis teſtamenti capitulis.* §. 1. *Eadem pœna parentibus imponenda, ſi quidem de liberis in furore conſtitutis curare neglexerint.*

De foro clerici & epiſcopi accuſati.

29. [27] Idem A. Juliano P. P.

SAncimus, ut nemo venerabilis clericus ab aliquo ſive clerico, ſive laico ab initio apud beatiſſimum provinciæ Patriarcham accuſetur; ſed prius [28] juxta ſacra inſtituta apud Epiſcopum civitatis, in qua clericus verſatur: tum, ſi is ſuſpectus eſt, apud Metropolitanum epiſcopum reum agat: ſed ſi forte ne ei quidem accuſatio placuerit, ad ſacram ejus regionis Synodum accuſatum deducat: & cum Metropolitano tribus convenientibus religioſiſſimis epiſcopis qui cæteris propter ordinationem præferuntur, de cauſa coram tota Synodo cognoſcatur: & ſi quidem ei, quæ judicata erunt, placuerint, ab accuſando diſcedat: Si vero ſe lædi exiſtimaverit, provocet illius provinciæ beatiſſimum Patriarcham, atque iis, quæ ipſe judicaverit, omnino pareat: perinde ac ſi eum ab initio judicem eſſet conſecutus: nam [29] contra horum antiſtitum ſententias non eſſe locum appellationi a majoribus noſtris conſtitutum eſt. † Hoc idem ſervandum eſt, ſi Epiſcopus ab aliquo laico, ſive ab aliquo clerico, ſive ab altero religioſiſſimo Epiſcopo accuſatus ſit. Nam [30] ut ſtatim accuſatio ad ſanctiſſimos Patriarchas deferatur; & ut accuſati in aliam provinciam mittantur, omnino prohibemus [31]: præterquam ſi accuſationem quis ob eam rem intulerit, quod cauſa illius regionis religioſiſſimo epiſcopo commiſſa fuerit: quo caſu licet ad ipſos quoque ſanctiſſimos Patriarchas deferre accuſationem. Literæ tamen conficiantur ad aliquem ex Epiſcopis eorum locorum, ut is cauſam audiat, ut antea a nobis dictum eſt. §. 1. Non vero ei liceat facere, ut deſcendant in provincias venerabiles clerici, & immodicas ſportulas, dum accuſantur, inferant, qua in re hucuſque peccatum eſſe cognovimus. Neque enim in ſingulas reorum perſonas [32] plus ſexta aurei nummi parte pro ſportulis dari concedimus iis, qui a ſanctiſſ. Patriarchis ac Metropolitanis mittuntur: aut, ſi Epiſcopus miſſus eſt, ſex tantum aurei ex quacunque quantitate ac cauſa, neque amplius præbeatur. Hoc in Metropolitanis etiam teneat, cum ad eos accuſatio contra Epiſcopum, qui ſub eo ſit, aut ejus provinciæ clericum defertur. Nam ſi in civilibus judiciis moderari ſportularum [33] & ſumptuum modum curavimus, eaque ex lege præſtari volumus; multo magis in eccleſiaſticis accuſationibus modum ſervari ſancimus.

§. 2. Enimvero, ſi remiſſa cauſa ad ſanctiſſimum Patriarcham, aut ad aliquem ex religioſiſſimis Metropolitanis, aut ad alium Dei amantiſſimum Epiſcopum ſententia lata ſit, quæ alicui parti diſpliceat, ac provocetur: ad Archiepiſcopalem hanc ſedem referatur appellatio, in qua (ut adhuc ſervatum eſt) lis cognoſcatur. §. 3. Si vero quis auſus fuerit adverſus hæc quicquam tentare; is quidem omne, quod accepit, cum altero [34] tanto ei, qui negotium paſſus eſt, præſtabit, fietque eccleſiaſticæ multæ ſubjectus apud ſanctiſſimum Patriarcham, aut religioſiſſimum Metropolitanum, qui tunc erit eccleſiaſticorum numero ejiciendus. §. 4. Has autem actiones, ſiquidem ad eccleſiaſtica negotia pertinent, neceſſe fore jubemus, ut a ſolis religioſiſſimis Epiſcopis aut Metropolitanis, aut a ſacris Synodis, aut a ſanctiſſimis Patriarchis cognoſcantur: ſi vero civilium rerum controverſia ſit, volentes [35] quæſtionem apud Antiſtites inſtituere, patiemur, invitos [36] tamen non cogemus: cum judicia civilia ſint, ſi ea adire malint, apud quæ licet etiam de criminibus cognoſcere. §. 5. Quoniam vero quidam ſunt ſanctiſſimi Patriarchæ, qui in provinciis, in quibus exiſtunt, Metropolitanorum officium gerunt: alii per totam Diœceſim, epiſcoporum Metropolitanorum, atque aliorum qui ſub eis ſunt, ordinationes faciunt: ea de cauſa illud obſervari ſancimus, quod de Metropolitanis antea diſpoſuimus: is enim jure *Metropolitanus* vocatur, qui in epiſcopos minores [37] ex ſacris regulis eam poteſtatem habet. Dat. 15. Kalend. Nov. CP. LAMP. CONS. 530.

De tutoribus, vel curatoribus dandis.

30. [38] Idem A. Joanni P. P.

SAncimus [39], in curationibus juniorum, ſive [40] primæ, ſive ſecundæ ſint ætatis, aut alii quidam, quibus lex dat curatores, ſiquidem uſque ad quingentos [41] aureos & ſolummodo facultates ſint juniorum, non Præſidum provinciarum expectare creationem, neque impenſis maximis ſubjici, præſidibus forte neque morantibus in urbibus illis, in quibus proſpici curationi contingit, ſed apud civitatis illius Ecdicum [42] [defenſorem] aut ſtrategum [Magiſtratum municipalem,] vel in Alexandrina civitate apud ejus Juridicum [43], una cum religioſiſſimo ejus Epiſcopo, aut aliis etiam publicis perſonis, ſi harum copiam habeat civitas, fieri creationes curatorum ſeu tutorum; fidejuſſore ſecundum menſuram facultatum dato ſecundum dictarum perſonarum judicium: & aliis omnibus procedentibus quæcunque ſuper tutorum vel curatorum fidejuſſione [44] & ſecundum modum facultatum conſueta ſunt: ſola perſonarum tranſmutatione, per quas hæc fiant propter minorum utilitatem a præſenti ſanctione introducta: omnibus videlicet his ſub ſola duorum numiſmatum [45] [id eſt, ſolidorum] datione conficiendis, præſertim cum hac maxime de cauſa hæc poſita eſt conſtitutio, pœna imminente, ſi quis plus accipere auſus fuerit, aut diſtulerit conſtituere tutelam ſeu curationem ſpe majoris lucri: & eo non ſolum triplum reddituro omne, quidquid acceperit, ſed etiam ab ipſa ſollicitudine & adminiſtratione removendo. Cum autem factæ fuerint tutorum aut curatorum creationes, præſente etiam religioſiſſimo civitatis Epiſcopo, in ipſis ſanctiſſimæ eccleſiæ archiis [46] deponi geſta ſancimus: ut ſit perpetua rei memoria, & non intercidat caſibus fortuitis curationis exinde quæſita cautela. His, quæ in magna hac civitate fiunt, tutelis aut curationibus apud ſolum clariſſimum Prætorem faciendis, ut jam ſancitum eſt. Dat. 5. Kalend. Aug. CP. poſt CONS. LAMP.

1 Hoc videtur innuere, teſtamentarios non cogi ad ſatisdationem præſtandam. Hoc tamen in Gallia non ſervatur, ubi omnis tutor ex inquiſitione datur. Solent enim conſanguinei tutores promittere pupilli indemnitatem, cum omnium bonorum ſuorum obligatione. Rebuff. *in proœm. conſt. gloſſ.* 6. *n.* 39. Neque ſatisdare ſolet mater, vel avia, ut & quivis tutor, etiamſi ad paupertatem devenerit. idem Rebuff. *in tract. de ſent. proviſionalib. art.* 3. *gloſſ.* 2. *n.* 8. 2 Teſtimonium patris pro ſatisdatione ſufficit, *ut hic.* ut quo teſtimonio nullum majus ſit, aut eſſe debeat liberis. *l.* 7. §. 5. J. *de curat. furioſ.* 3 Exigitur jusjurandum a curatore furioſi. 4 Tutoris officium eſt & curatoris, utilia non prætermittere, inutilia non admittere. 5 Inventarium exactiſſimum curator furioſi facere debet. *d.* §. 5. *in fin.* quod ita verum eſt, ut præſumatur in dolo verſari, ſi inventarium facere neglexerit. *l.* 7. *in pr. ff. de adm. & peric. tut.* v. Roland. a Vall. 1. *conſ.* 49. *num.* 55. Curator ad litem ad inventarium faciendum eſtne obſtrictus? Bart. ait. Accurſius negat; quem omnes ſequuntur: idque ita obſervari in Camera imperiali, refert Andr. Gayl. 2. *obſ.* 108. Cogi tamen ait ad ſatisdationem rem pupilli ſalvam fore. Aliud eſt in curatore. *gloſſ. l.* 1. *in fin. in verbo Venter, ff. de curat. bon. dando.* 6 Id eſt, nullis omiſſis. 7 Nec enim privata conſcriptio, aut notatio ſufficeret. 8 Scriptura in inventario requiritur: & proinde non auditur tutor teſtibus bona pupilli ſui probaturus. 9 Lege 12. Tabularum adgnatorum tutelam adgnati ſortiebantur. dixi ad leg. 12. tab. *tit. de tut. & curat. cap. de curatorib.* 10 Nota perſonas a quibus dari tutor, aut curator poteſt. 11 Sufficit enim datum fuiſſe ex inquiſitione. 12 A dativo tutore, cum creatur, exigi juſta de cauſa poteſt fidejuſſio. 13 Tutores dativi ad hæc tria coguntur: Jurare rem pupilli ſalvam fore: inventarium conſcribere: bonorum propriorum hypothecam pati, *l. ult.* §. 6. J. *de curat. fur.* 14 Demens alius eſt a furioſo. 15 Nullo diſcrimine habito inter maſculos & fœminas. v. *l.* 25. J. *de nupt.* 16 Sine metu exheredationis. 17 In quibus ætas legitima ſemper requiritur. 18 Jam ſc. conſtituto, aut ſi nullus eſt curator, conſtitui debet. *l.* 61. *ff. de jur. dot.* 19 Non contrahentium, aut curatoris, ſed judicum, & earum perſonarum, quæ ſequuntur arbitrio. 20 Dotis, aut donationis propter nuptias quantitatem faciendæ liberis in furioſi parentis poteſtate poſitis judices æſtimare debent. 21 Dos & donatio propter nuptias conſtituenda eſt, habita ratione mariti, ejusque uxoris. *l.* 60. *ff. de jur. dot.* 22 Nec enim æquum eſt univerſa bona in dotem dari. *l.* 12. §. 2. *ff. de admin. & peric. tut.* 23 Dotem pupillo conſtituere ſolus judex non poteſt, abſente curatore, niſi curator ultro latitet. 24 Dos mulieri quoties conſtituenda, agnatorum præſentia requiritur, non omnium, ſed nobiliorum ac proximiorum. 25 Vix eſt ut id ſervetur hodie. 26 Exheredari juſte filius poteſt, ſi parentis furioſi curam neglexerit: & econtra. v. *Novell.* 115. *c.* 3. §. 12. & *c.* 4. §. 6. quin poteſt filius patris & matris eſſe curator. *l.* 1. *in fin. l.* 2. *in fin. l.* 4. *ff. de cur. fur.* 27 Interpretatio Antonii Auguſt. 28 Fori eccleſiaſtici gradus notent clerici: apud epiſcopum prima accuſatio inſtituenda: ab eo ad metropolitanum provocatur: ab eo ad Synodum, ab eo ad Patriarcham, a Patriarcha ad nullum: quod notatu dignum eſt. adde §. 2. J. *hic. Nov.* 6. *cap.* 8. *verſ. Si vero hoc non.* Eſt igitur epiſcopus clericorum primus Judex. 29 A Patriarcha ad nullum appellatur. 30 Autor tamen Synopſeos Baſil. 3. *tit.* 1. *cap.* περὶ πατριάρχου, ſcribit poſſe quem apud Patriarcham primam accuſationem inſtituere, ac petere per literas ejus, dari ſibi judicem a locorum epiſcopis: cujus ſententia ſi recuſata fuerit, rurſus Patriarcha judicabit. 31 Poteſt tamen quis, ut jam diximus, etiam apud Patriarcham primam accuſationem inſtituere, ac petere, per literas ejus dari ſibi judicem a locorum epiſcopo. 3. *Eclog.* 1. *c.* 5. & J. *h. t.* 32 Sportularum judicialium a clericis præſtandarum quantitatem obſerva. 33 Sportulis modus adhibendus. *l.* 33. §. 5. S. *de Epiſc. & cleric. & t. tot.* J. *de ſport.* 34 Imo, cum triplo. §. 24. *in princ. Inſtit. de act.* Imo, quadruplo. *l.* 2. J. *de ſport.* 35 *l.* 25. *in pr.* S. *de Epiſc. & cleric.* inter volentes cujusvis judicis conſenſus eſt. *l.* 2. *in pr. ff. de jud.* 36 In invitos tamen judicium redditur, ſed a ſuis judicibus. 37 Τῶν ὑπὸ τὴν μητρόπολιν ἐπισκόπων, ut ſit ſenſus, Metropolitanus is eſt, qui poteſtatem habet in minorum civitatum epiſcopos. Cui definitioni convenit, *can. cleros.* 1. §. *ordo. verſ. metropolit.* 21. *diſt.* Metropolis. *l.* 4. §. 5. *in fin. ff. de off. proconſ.* mater urbium ab Ammiano dicitur: mater & caput provinciæ. *l.* 7. *in pr. ff. de off. proconſ.* Metrocomia vero mater vicorum. v. Cujac. *ad l.* 8. *infr. de exact. tribut.* metropolis gentium. *l.* 6. §. 2. *in fin. ff. de excuſ. tut.* ubi minorum, majorum & maximarum urbium ſit mentio. De metropoli plura, v. J. *de metropoli Beryto.* 38 Interpretatio Contii. 39 Hujus conſtitutionis argumentum recitat Juſtinianus *Inſtitut. de Atiliano tutore* §. *nos autem.* & Theophilus Græce. *Mod.* 40 Πρώτης εἴτε τῆς δευτέρας ἡλικίας, cum dicit, pupillos & adultos innuit. Prima ætas pupilli: ſecunda adulti eſt. Hujus enim conſtitutionis cum facit mentionem Juſtinianus, §. *nos autem.* 5. & *ibid. Theoph. Inſt. de Atilian. tutor.* pupilli & adulti meminit, quibus ſi facultates eorum 500. ſolidorum fuerint, a defenſore civitatis, a magiſtratibus, a Juridico tutores & curatores creari jubet aſcito civitatis Antiſtite. 41 Qui ſolidi etiam dicuntur. §. 5. *Inſt. de Atiliano tutor.* 42 Pro diverſarum provinciarum idiomate, ita judices appellabantur ἔκδικοι, & ita quoque dicuntur, *Novell.* 15. περὶ ἐκδίκων, & *Theoph.* §. 5. *Inſt. de Atiliano tut.* Juridici, *ut hic,* στρατηγοὶ, *ut hic,* & 5. Harmen. 11. *c.* 19. ubi interpres perperam pro *ſtratego* vertit *exercituum duce.* Quemadmodum perperam apud Theoph. illo loco legitur. Defenſores civitatum adſcito epiſcopo, & aliis publicis perſonis, τουτέστι στρατηγοῦ ἢ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τοῦ ἰουριδίκου, tutores & curatores creare: cum ſit ſenſus potius: Defenſores civitatum, ubi ii fuerint adſcito Epiſcopo, tutores & curatores creare, ubi non fuerint, τοὺς στρατηγοὺς ἢ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἰουρίδικον, hoc eſt magiſtratus municipales & Juridicum Alexandriæ. 43 De quo v. J. *h. t.* & *ff. de off. juridici.* 44 *l.* 4. *in fin. l.* 5. 6. 7. *ff. de fidejuſſ. tut.* & *tit. Inſtit. de ſatisdat.* 45 Numiſmata aurei ſolidi. 46 De archio dixi *ad l.* 9. §. 6. *ff. de pœn.* de archeotis v. *l.* 18. §. 10. *ff. de mun. & honor.* De Eccleſiæ Archivis adde *Nov.* 74. *c.* 4. §. 2.

De

De interruptione præſcriptionis.

31. Idem A. Joanni P. P.

SAncimus, ut ſi [1] quando abfuerit is, qui res alienas vel creditori obnoxias detinet, & deſideret dominus rei, vel creditor ſuam intentionem proponere, & non ei licentia ſit, abſente adverſario ſuo, qui rem detinet, vel infantia, vel furore laborante, & neminem tutorem, vel curatorem habente, vel in ſumma poteſtate conſtituto, [eandem rem auctoritate ſua uſurpare:] licentia ei detur adire Præſidem provinciæ, libellumque ei porrigere, & hæc in querimoniam deducere & intra conſtituta tempora interruptionem facere: ſin autem nullo poterit modo Præſidem adire: ſaltem [2] ad Epiſcopum locorum eat, & ſuam manifeſtare voluntatem in ſcriptis deproperet. Dat. *Conſtantin.* Kal. Octob. poſt CONSULAT. LAMPADII & ORESTIS VV. CC. COSS. 531.

De emphyteuſi.

32. [3] Idem A. *

DIfferente domino recipere emphyteuma, licentiam habet emphyteuta conſignare [4] ipſum, & Conſtantinopoli quidem in fine triennii conteſtari id ipſum apud hyparchos [ſeu Præfectos prætorio,] aut apud Præfectum urbis, aut competentem recuſantis magiſtratum, aut Patriarcham, ſi dominus homo ſit potens: in provinciis autem apud Præſidem aut, eo non morante ibi, apud defenſorem, aut Epiſcopum civitatis, in qua eſt is qui recuſat: & unius ipſorum aſſumere teſtationem: ac niſi aut ſic acceperit canonem, canon ſolvitur, & lucratur canonem emphyteuta etiam ſequentis temporis: & eouſque quo dominus mittat per teſtationem petitum: exinde etenim, non autem ex præterito tempore accipiet, & poſt triennium [5] poſt atteſtationem ejuſmodi indevotum emphyteutam expellere poterit.

De ſcenicis mulieribus & de nuptiis.

33. [6] Idem A. Ubique terrarum conſtitutis Epiſcopis.

SAcram fecimus conſtitutionem [7], nemini permittentes, neque invitam mulierem ancillam, aut liberam in ſcenam, aut orcheſtram pertrahere: neque converti volentem, prohibere eam ejus fidejuſſores, quaſi ſuper hoc ipſo certum auri modum promiſſum repetendo: ſed ſi quid tale factum fuerit prohiberi hæc & a clariſſimis provinciarum Præſidibus, & a civitatum religioſiſſimis Epiſcopis conſtituimus, dantes licentiam religioſiſſimis Epiſcopis una cum clariſſimo provinciæ Præſide, etiam invitos [8] trahere ad ſe eos, qui compulerint, aut qui mutari, ſeu converti ab ea actione prohibuerint: & publicam quidem fieri eorum ſubſtantiam, ipſos vero civitate expelli. Si vero qui provinciam regit, ipſe ſit, qui eas compulerit, aut a prædicta actione converſionem ſeu reſipiſcentiam prohibuerit: damus licentiam, & ſolos religioſiſſimos Epiſcopos adire eam, quæ talia patitur, aut ejus fidejuſſorem, hunc vero (Epiſcopum) adverſari [9] magiſtratum habenti, & non permittere injuſte agere: aut ſi minus fuerint ad id exequendum potentes, indicare id noſtro Imperio, ut a nobis competens exerceatur pœna, fidejuſſionibus ſimul liberandis, & fidejuſſoribus indemnibus conſervandis, licentiam dantes converſis [10] hujuſmodi mulieribus liberis & ingenuis exiſtentibus ad matrimonium tranſire legitimum, etiamſi contigerint honeſtiſſimis dignitatibus qui illas duxerint, decorati non amplius indigentibus imperialibus reſcriptis, ſed ſua poteſtate nuptias celebrantibus, nuptialibus nimirum inſtrumentis omnimodo inter ipſos factis. Eademque & de filiabus ſcenicarum conſtituentes. §. 1. Hanc autem dictam conſtitutionem, & in quinto [11] libro omnium conſtitutionum hujus ſcil. noſtræ pietatis cognominis libri, ad civiles magiſtratus reſcriptam, poſuimus. Quoniam enim oportebat per præſentem ſanctionem & vobis ubique terrarum poſitis religioſiſſimis Epiſcopis hæc facere manifeſta, propterea congregantes, quæ ad ipſam pertinent, expoſitione latiore ſancita etiam eandem divinam conſtitutionem fecimus etiam ad vos, ut ſacerdotalem conſervantes reverentiam, & continentiæ ſtudioſi, hæc cuſtodiatis: tam magni Dei metum, quam imperialem indignationem, ſi quid horum prætermiſeritis, conſiderantes. Dat. Kal. Novemb. CP. DN. JUSTIN. IV. & PAULINO CONSS. 534.

De ludis & ſpectaculis.

34. [12] Idem A. Epiphanio ſanctiſſimo Archiepiſcopo hujus feliciſſimæ urbis, & univerſali Patriarchæ.

CErtiſſime credimus, quia ſacerdotum puritas [13], & decus, & ad dominum Deum & Salvatorem noſtrum, Jeſum Chriſtum fervor, & ab ipſis miſſæ perpetuæ preces [14], multum favorem noſtræ Reipubl. & incrementum præbent, per quas datur nobis, & Barbaros ſubjugare, & in dominium redigere illos, quæ antea non obtinuimus: & quanto plus rebus illorum accedit honeſtatis & decoris, tanto [15] magis, & noſtram remp. augeri credimus. Si enim hi prætulerint vitam honeſtam, & undique irreprehenſibilem [16], & reliquum populum inſtruxerint, ut is ad illorum honeſtatem reſpiciens multis peccatis abſtineat, planum eſt, quod inde & animæ omnibus meliores erunt, & facile nobis tribuetur a maximo Deo, & ſalvatore noſtro Jeſu Chriſto clementia conveniens. §. 1. Hæc igitur nobis ſpeculantibus nunciatum eſt, præter communem rerum fidem, quoſdam ex reverendiſſimis diaconis, itemque presbyteris, (nam eo amplius etiam dicere erubeſcimus [17], Deo amantiſſimos, nempe Epiſcopos) quoſdam, inquam, ex his non verentur, alii quidem per ſeipſos cubos [18], ſeu teſſeras contrectare, & adeo pudendum atque ipſis etiam idiotis [19] a nobis frequenter interdictum ſpectaculum [20] participare: alii vero talem ludum non accuſant, ſed vel communicant facientibus, aut ſedent ſpectatores actus indecori: & ſpectant quidem cum aviditate omnimoda res omnium rerum importuniſſimas: ſermones vero audiunt blaſphemos [21], quos in talibus neceſſe eſt fieri: polluunt etiam ſuas manus [22], & oculos, & aures ſic damnatis & prohibitis ludis: alii vero neque obſcure, aut latenter, aut equorum [23] certaminibus ſe immiſcent: aut etiam invitant aliquos ſuper equorum profligatione aut victoria, vel per ſeipſos, vel per alios quoſdam, ut quia non decenter talia ludant: aut ſcenicorum, vel thymelitarum [24] ſpectatores fiunt ludorum, aut earum, quæ in theatris certantium ferarum [25] pugnæ fiunt, neque cogitant, quemadmodum ipſi vel his, qui modo & recens initiati ſunt, & adorandis myſteriis dignati, ipſi prædicunt, *Ut abrenuncient adverſarii dæmonis* [26] *cultui, & omnibus pompis ejus*, quarum non minima pars talia ſpectacula fiunt.

§. 2. Sæpe quidem ipſis talia cuſtodire debere prædicavimus: videntes autem de his factam nobis relationem, in neceſſitatem incidimus ad præſentem veniendi legem, tum propter noſtrum ſuper religione ſtudium, tum etiam propter ſacerdotii ipſius ſimul, & communis Reipublicæ utilitatem. §. 3. Et ſancimus neminem, neque diaconum, neque presbyterum, & multo magis, neque Epiſcopum (quod quidem, & incredibile forte videri poſſit; ut quorum in [27] ordinationibus preces [28] ad Dominum mittuntur Chriſtum Deum noſtrum, & invocatio ſancti & adorandi fit ſpiritus, & eorum capitibus [29], aut manibus imponuntur ſanctiſſima [30] eorum, quæ apud nos ſunt myſteriorum, ut ſcil. ipſis ſenſoria [31] omnia inſtrumenta pura fiant, & conſecrentur Deo) neminem igitur horum audere de cætero, & poſt divinam noſtram legem, aut cubicare [32] [i. e. teſſeris, ſeu aleis ludere,] quocumque aleæ genere, aut ludo, aut ita ludentibus communicare, aut converſari, aut una recreari, aut una cum eis agere, aut eis teſtimonium perhibere, aut intereſſe plebeiis hujuſmodi ſpectaculis, quæ prius diximus, aut quid eorum, quæ in his prohibentur, facere, ſed omni ad illa participio in poſterum abſtinere. Quod enim præceſſit jam, tametſi [33] etiam inquirere oportuerat, nec participare indecenter oportebat, tamen propter humanitatem [34] indulgemus, præſentis legis obſervationem omnibus in poſterum injungentes tempus. Decet enim ipſos jejuniis & vigiliis [35], & meditationibus, ſeu exercitationibus in divinis oraculis, & pro omnium ſalute fundendis vacare precibus: at [36] eos, qui talia non reliquerint, nec ceſſaverint, omnino polluta & prohibita contrectare. † Idem enim etiam ſancimus, & in reliquos clericos, (ſubdiaconos nempe, & lectores:) quando & ipſi [37] ſacræ menſæ [38], & omnis circa ſanctiſſ. eccleſias ornatus conſtituti ſunt miniſtri & operarii, & ſacra contrectantes eloquia: dum ſacras nobis ex ſacris noſtris Bibliis illi [39] quidem legunt ſcripturas, hi vero hymnos & odas canunt. §. 4. Si vero quis de cætero tale quid faciens deprehenſus fuerit, & delatus fuerit id vel in hac felici civitate tuæ ſanctitati, vel in provinciis ſub ipſa poſitis, Deo amantiſſimis Metropolitis & cæteris Epiſcopis, quorum ordinationem tuæ beatitudinis facit thronus, & talis quædam ſupervenerit accuſatio, aut diacono, aut presbytero, & multo magis Epiſcoporum Deo amabilium cuidam: tuam hic beatitudinem, & in provinciis poſitos ſub te Deo amantiſſ. Metropolitas, &, qui ſub ipſis ſunt, Epiſcopos, hæc cum diligentia omni ſecundum ordinationis ordinem quærere, & perſcrutari, neque defunctoriam facere inquiſitionem, ſed & teſtes fide dignos audire, & per omnem viam procedere ad eruendam veritatem: ſicut enim ipſis talia interdicimus, ita & calumniam [40] peti a quibusdam vetamus: & ſi, undique diſcuſſione divinis propoſitis eloquiis facta, vere ſe habere accuſatio apparuerit, & convictus fuerit diaconus aut presbyter, vel aleator eſſe, vel aleatorum particeps, aut talibus adſidens vanitatibus, vel prædictis intereſſe ſpectaculis, aut etiam forte aliquis Deo amabilium Epiſcoporum (quod quidem neque eventurum eſſe confidimus) prorſus talis cujusdam particeps [41] eſſe ſpectaculi, aut cum aleatoribus una ſedere & diſponere ac paciſci, aut ſponſiones facere de cætero auſus fuerit: eum mox a tua beatitudine, aut [42] a Metropolita, aut Deo amantiſſimo Epiſcopo, ſub quo ordinatus eſt, ſi quidem aliquis prædictorum ſit clericorum, a ſacra ſeparari [43] liturgia, imponi autem ipſi canonicam pœnam, & definiri tempus intra quod conveniat ipſum jejuniis & ſupplicationibus utentem, magnum propitiari Deum ſuper tali transgreſſione: & ſi per definitum tempus, qui talem pœnam ſuſcepit, maneat lachrymis & pœnitentia, & jejunio & ad Dominum Deum oratione, remiſſionem delicti exorans, confeſtim eum, cui ſubjectus eſt, hoc diligenter cognito, & ſolicite requiſito, communem quidem pro ipſo orationem fieri curabit, & cum omni diligentia injunget ipſi, ut poſtea a tali ſacerdotii dedecoratione abſtineat: & ſi putaverit ipſum ſufficienter ad pœnitentiam veniſſe, tunc ſacerdotali eum reſtituere [44] dignetur clementiæ:

1 Eadem verba extant in *l.* 2. *in pr. infr. de annali except.* 2 *l.* 21. *ſupr. h. t.* 3 Interpretatio Antonii Auguſtini. 4 Adde *l.* 7. *in fin.* J. *de pact. int. empt. & vendit. l.* 2. *in fin.* J. *de jur. emphyt.* 5 *l.* 2. *verſ. ſin autem.* J. *de jur. emphyt.* biennii in caſu legis 56. *in fin. ff. locati.* 6 Interpretatio Antonii Auguſtini. 7 *l.* 14. S. *h. t. l. ult.* J. *de nupt.* 8 De ſervili ſilentio epiſcoporum v. *l.* 26. §. 1. *ſupr. h. t.* 9 Theatri, ſcenæ & ſpectaculorum vitiis epiſcopos mederi oportet. 10 Mimæ, aut ſcenicæ mulieres ab hujuſmodi vita poſſunt diſcedere, eoque facto impune nubere honeſtis viris. *Novell.* 78. *c.* 3. *Novell.* 117. *c.* 6. & ita abrogari videtur *l.* 7. *in fin.* J. *de inceſtis & inutil.* 11 *l. ult.* J. *de nupt.* 12 Interpretatio Contii. 13 Puritas animi in Epiſcopis requiritur. 14 Munus epiſcopi precari. *l.* 42. *in princ.* S. *de epiſc. & cler.* Preces reipublicæ utiles. 15 *Nov.* 133. *c.* 5. *in fin.* 16 Ἀνεπίληπτον, *ut hic,* & 1. *Tim.* 3. *v.* 2. ἀνέγκλητον ad *Tit.* 1. *verſ.* 6. 7. 17 Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe Crimen habet, quanto major qui peccat habetur. 18 Cubi, teſſeræ, & aleæ clericis, & epiſcopis interdicuntur. *l.* 17. *auth. Interdicimus.* S. *de epiſc. & cler. l.* 25. S. *h. t. Novell.* 123. *c.* 10. *in med. Nov. Leon.* 87. & *can. apoſt.* 41. & 42. Iidem ταβλίζειν, id eſt, tabulis ludere prohibentur. 3. *Syn. Baſil.* 1. *c.* 16. περὶ ταβλιζόντων ἐκκλησιαστικῶν προσώπων, ταβλόδοχος aleatorum ſuſceptor. v. Cujac. *Nov.* 123. *c.* 10. Goth. Adde *cap. clerici extr. de vita & honeſt. cleric. cap.* 1. *extra. ne cler. vel monach.* Villagut. *pract. criminal. lib.* 3. *tit. de Inquiſit. cap.* 8. *concluſ.* 6. Anſ. 19 Id eſt, privatis, & laicis. 20 Eccleſiaſticis perſonis non modo alea non licet ludere, ſed nec ludentes ſpectare. 21 Blaſphemiæ aleam conſequi ſolent, *l.* 2. *verſ. non licere. l. ult. in pr.* J. *de aleatoribus.* 22 Ludus nefarius, in quo & manus, & oculi & aures hominum polluuntur. 23 De quibus vid. *l.* 3. J. *de ſpectaculis.* 24 De *thymelicis* alibi dixi. 25 Multo magis eorum in quibus homines interficiuntur. Hæc omnia non modo ad beatam vitam nihil conferunt, ſed etiam nocent plurimum. vid. Lactant. 6. *cap.* 20. v. Tert. *lib. de ſpectaculis,* Lipſium *lib. de gladiat.* 26 Spectacula gentilium dæmonum cultus, & pompæ: quo nomine deteſtanda. Tertullianus *ex Davide d. l.* concilia impiorum, viam peccatorum, & cathedram peſtium appellat, illis reſpondens, qui negabant nullibi in ſcriptura reperiri, Non in circum ibis, non in theatrum: agonum munus non ſpectabis. adde *diſt.* 23. *c. his.* 3. 27 Epiſcopi præeunte oratione eligendi. *Act.* 1. *v.* 24. 28 Fiunt etiam jejunia. *diſt.* 75. 29 Adde *diſt.* 23. *c. epiſcopus.* 30 Ἁγιώτατα τῶν παρ' ἡμῖν μυστηρίων. oleum intelligit & unctionem. 31 Αἰσθήσεια, ſenſus. 32 Κυβεύειν. 33 Præteritis delictis facilius indulgetur, quam futuris: ſed & præteriti delicti pactio admittitur, futuri non æque. *l.* 27. §. 4. *ff. de pact.* 34 *Nov.* 6. *cap.* 8. *in pr.* 35 Adde *Nov.* 133. *c.* 6. alii legunt ἀγνείας. 36 Ita vertere debuit, at non hæc relinquentes. 37 Id eſt, ſubdiaconi, nota ſubdiaconi officium. 21. *diſt. c. cleros.* 1. *verſ. hypodiaconi.* adde Duar. 1. *de ſacris* 14. 38 Ἱερᾶς τραπέζης. huc refert viſionem Antonii magni, qua Ἱερὰν τράπεζαν a multis ſubverti vidiſſe ſcribitur, teſte Sozomeno 6. *hiſt.* 5. *in fin.* 39 Lectio eſt corrupta. Loquitur autem περὶ ἀναγνωστῶν de lectoribus; id itaque vult, Lectoris officium in Eccleſia fuiſſe, & ex Bibliis ſcripturas legere, & hymnos & odas canere. Eo munere Julianus cognomento Apoſtata, quondam functus eſt. Theodor. 3. *c.* 2. Et lectoris quidem videtur generalis appellatio: proprie ſumpta, pronunciatorem ſignificat: alias, modulatorem, qui cantor: ab eo præcentores, ſuccentores, concentores. 21. *diſt. c. cleros. verſ. lectores. & ſeq.* poſt id munus ad ſubdiaconos translatum videtur. 7. Iſidor. 4. *c. cler. diſt.* 21. vel hoc Juſtinianus vult: ſubdiaconos ſacra biblia etiamſi nolint legere: lectores vero hymnos canere. 40 V. *l.* 1. J. *de calumniatoribus.* adde & 2. *quæſt.* 8. 41 Aleæ particeps cenſetur qui non modo ludit, ſed qui cum aleatoribus ſedet, qui paciſcitur, qui ſponſiones facit. 42 Clericus aleator poteſt deponi vel a Patriarcha, vel a metropolitano, vel ab Epiſcopo. 43 Pœna Eccleſiaſtica, privari liturgia. 44 Clericus exauctoratus juſta de cauſa reſtitui poteſt.

ſi vero

ſi vero & poſt excommunicationem inventus fuerit neque vera pœnitentia uſus, & alias etiam aſpernatus eam rem, & manifeſte ab adverſario diabolo mente ineſcatus, ipſum quidem ſacerdos, ſub quo degit, ſacris eximat catalogis, omnino eum deponens: ille autem non amplius ullo [1] modo licentiam habeat ad ſacerdotalem venire gradum: ſed ſi quidem habeat facultates, civitatis illius curiam, in qua conſecratus eſt primum, aut ſi non habeat curiam ea civitas, alia curia provinciæ, quæ maxime indiget curiali, accipiet illum in poſterum curiæ [2] cum ſuis facultatibus ſerviturum: ſi vero facultates non habet, officialis in poſterum fiat provincialis officii pro [3] eo, quod ante fuit ſacratus, & eam ob rem quod Dei officium dereliquit, erit officialis provincialis, hanc ſibi turpitudinem pro priſtino honore imponens. §. 5. Hæc igitur omnia ſancimus in hac quidem felici civitate tuam cuſtodire ſanctitatem, & ſingularum Eccleſiarum defenſores & œconomos quibus curæ erit hæc inquirere, & denunciare, & convictos privare datæ eis a ſanctis Eccleſiis annonæ erogatione: in provinciis autem, qui ſub tua ordinati ſunt beatitudine, Deo amantiſſimi Metropolitæ; ad hæc etiam, qui illis ſubſunt religioſiſſimi epiſcopi, & eorum Eccleſiecdici [4] & œconomi [5] & ipſi ad eundem modum qui prædictus eſt, re utentes, & ſacram venerationem undique irreprehenſibilem & inculpabilem cuſtodientes, conſervabunt quidem iſta: ut & glorioſiſſimi ſacrorum noſtrorum prætoriorum præfecti (dicimus [6] autem orientis cum ſubditis gentibus eorum juriſdictioni, item Illyrici, atque etiam Afrorum præeminentes diœceſi) & parentia eis officia & clariſſimi provinciarum præſides & civitatum defenſores: ipſi quidem, qui maximos magiſtratus gerunt indignationem noſtram ſubverentes, officia autem non obſecundantia ipſis, decem auri librarum expertura pœnam: præſides vero provinciales majores pariter & minores, & obtemperantia ipſis officia & inſuper civitatum Defenſores quinque auri librarum pœnam metuentes, ſi hæc cognoſcentes, non adnunciaverint & ipſi ſacerdotibus, (id eſt, aut Deo amabilibus epiſcopis, aut ſanctiſſimis Metropolitis, aut uniuscujusque diœceſeos ſanctiſſimis patriarchis, ſecundum ſuam cuique regionem, ut ipſi hæc intelligentes, ſecundum quod antea definitum eſt, omnibus ſe opponant & reſiſtant) & poſtquam ab eis, is qui harum rerum convictus fuerit, depoſitus fuerit, non curiæ [7] civitatis aut officio eum tradi curaverit: & glorioſiſſimus præfectus hujus felicis civitatis hæc cuſtodiet, ſiquidem in hac peccetur regia noſtra civitate, una cum obediente ipſi officio, ipſe quidem indignationem noſtram ſubveritus, ipſius autem officium decem librarum auri metuens pœnam.

§. 6. Verum iſta quidem nos legislationis modo confecimus. Illud vero in confeſſo eſt: quia nobis quidem conſecrata ſunt Deo pro ſacerdotum ipſius honeſtate. Si vero ipſi transgreſſi fuerint ea, quæ ſunt ordinata, & diſſimulent, & non vindicent: ſed quadam videlicet humanitate non laudabili capti fuerint, præter cœleſtes [8] pœnas habebunt & illinc condemnationem quæ illis in ipſo Dei repræſentabitur tribunali, quæ indecentem diſſimulationem arguet & vindicabit. Si vero & aliquis civilium magiſtratuum majorum, aut minorum officialium, aut defenſorum, aut cum hæc didicerit, non judicaverit, aut cum vindicare liceret, neglexerit, aut rem mercede prodiderit, ſciat, quod præter interminatas a nobis pœnas habebit & a maximo Deo noſtro pœnam ſequentem, & obnoxius erit execrationibus omnibus, quæ ſacris continentur libris. §. 7. Sicut autem hæc nobis ob nihil aliud, quam ob Domini ſancita ſunt cultum, ſic & hoc addimus, ut inquiſitiones cum ſumma diligentia fiant, & ne [9] quis calumniator inſurgat in aliquos aut falſo accuſaturus, aut falſum teſtimonium laturus his de rebus: ſicut enim ſacerdotibus, ſi quid tale egerint, tales impoſuimus pœnas, ita & his, qui calumniari ipſos tentarint, ex cœlo & legibus noſtris pœnas imminere volumus, ſi accuſatione cœpta, ſeu adnunciatione aut perſequi noluerint, aut perſeverare in hujusmodi accuſationibus non quiverint. D. Pr. Non. Nov. CP. JUSTINIANO P. P. A. IV. & PAULINO V. C. CONSS. 534.

TIT. V.

DE HÆRETICIS [10] ET MANICHÆIS [11] ET SAMARITIS [12].

De privilegiis & muneribus.

1. Imppp. [13] CONSTANTIN. [CONSTANTIUS & CONSTANS] ad Dracilianum [Præfect. [14] Urbi.]

PRivilegia [15], quæ contemplatione religionis indulta ſunt, Catholicæ tantum legis obſervatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos non ſolum ab his privilegiis alienos eſſe volumus, ſed etiam diverſis muneribus conſtringi & ſubjici [16]. P. P. Kal. Septemb. *Generaſto*, CONSTANTINO A. VII. & CONSTANTIO CONSS. 326.

In AUTHENT. de privileg. dot. hæ. mul. §. quæ igitur. verſ. quia enim dedimus. coll. 8. tit. 10. al. 5. ſeu Nov. 119. c. 1.

ITem privilegium [17] dotis, quo mulier creditoribus tempore prioribus anteponitur, nec non de tacitis hypothecis, & alia omnia mulieribus a lege data, clauduntur his, quæ Catholicam non participant communionem.

Ut omnes hæreſes perpetuo quieſcant. 1. Qui dicuntur hæretici.

2. Imppp. GRAT. VALENTIN. & THEOD. AAA. ad Heſperium PF. P.

OMnes [18] vetitæ legibus divinis & imperialibus conſtitutionibus hæreſes perpetuo quieſcant. † Nemo [19] ulterius conetur, quæ repererit profana præcepta vel docere [20], vel diſcere: Nec Antiſtites eorundem audeant fidem inſinuare, quam [21] non habent [22]: nec miniſtros creare, qui non ſunt. Nec per conniventiam Judicantium, omniumque quibus per conſtitutiones paternas ſuper hoc cura mandata eſt, ejusmodi audacia negligatur, & creſcat. §. 1. *Hæreticorum* [23] autem vocabulo continentur, & latis adverſus eos ſanctionibus ſuccumbere debent, qui [24] vel levi argumento [a] judicio [25] catholicæ religionis, & tramite detecti fuerint deviare. Dat. 3. Non. Auguſt. *Mediolani*, AUSONIO & OLYBRIO CONSS. 379.

De locis. 1. De litaniis.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Clearcho Præfecto urbi.

CUncti [26] hæretici proculdubio noverint omnia ſibi loca adimenda [27] eſſe: ſive ſub *eccleſiarum* nomine teneantur, ſive *diaconica* [28] appellentur, vel etiam *decanica* [29]: ſive in privatis ædibus, vel locis hujusmodi cœtibus copiam præbere videantur: his ædibus, vel locis privatis, eccleſiæ [30] Catholicæ vindicandis. §. 1. Ad hoc interdicatur his omnibus, ad litanias [31] faciendas nocte, vel [32] die prophanis coire conventibus: ſtatuta videlicet condemnatione centum librarum auri contra officium ſublimitatis tuæ: [vel Præſidiale, quinquaginta,] ſi quid hujusmodi fieri vel in publico, vel in privatis ædibus concedatur. Dat. 5. Non. Martii ARCADIO IV. & HONORIO III. AA. CONSS. 396.

De legibus & moribus. 1. De publico crimine. De publicatione bonor. 2. De liberalitate & ſucceſſione. 3. De donatione & contractibus. 4. De morte & memoria rei. 5. De ultima voluntate. 6. De liberis, de pœnitentia. 7. De his, qui hæreticos recipiunt. 8. De ſervis hæreticorum.

4. Iidem & THEOD. AAA. ad Senatorem P. Urb. [33].

MAnichæos [34] ſeu Manichæas vel Donatiſtas [35] meritiſſima ſeveritate perſequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune ſit cum cæteris [36]. §. 1. Ac primum quidem volumus eſſe publicum [37] crimen: quia quod in religionem [38] divinam committitur in omnium fertur injuriam: quos bonorum etiam [omnium] publicatione [39] perſequimur. §. 2. Ipſos quoque volumus amoveri ab omni liberalitate [40] & ſucceſſione quolibet titulo veniente. §. 3. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non poſtremo contrahendi cuiquam convicto relinquimus facultatem. §. 4. In [41] mortem quoque inquiſitio [42] extendatur: Nam [43] ſi in criminibus Majeſtatis licet memoriam accuſare defuncti, non immerito & hic debet ſubire [tale] judicium. §. 5. Ergo & ſuprema illius ſcriptura irrita ſit [44]: ſive teſtamento, ſive codicillo, ſive [45] epiſtola: ſive [46] quolibet [47] alio genere reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuiſſe convincitur. §. 6. Sed nec filios heredes eis exiſtere, aut adire permittimus, niſi [48] a paterna pravitate diſceſſerint: Delicti enim veniam pœnitentibus damus. §. 7. In [49] eos etiam auctoritatis noſtræ aculei dirigantur, qui eos domibus [50] ſuis damnanda proviſione defendunt. §. 8. Servos inſuper extra noxam eſſe volumus; ſi dominum ſacrilegum evitantes, ad Eccleſiam Catholicam ſervitio fideliore tranſierint. Dat. 8. Kal. Mart. *Romæ* HONORIO VII. & THEODOSIO II. AA. CONSS. 407.

Si dominus temporalis terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pravitate.

Nova conſtitutio Friderici Imperatoris de ſtatut. & conſuet. §. ſi vero dominus. collat. x. conſtitut. fin. pag. 744.

SI vero dominus temporalis requiſitus [51] & admonitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, poſt annum a tempore monitionis elapſum, terram ipſius exponimus Catholicis occupandam: qui eam exterminatis hæreticis absque ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent: ſalvo jure domini principalis, dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum apponat. Eadem nihilominus lege obſervata contra eos, qui non habent domos principales.

1 Clerici in perpetuum clericatu privari poſſunt. 2 Id videtur abrogari *Nov. Leon.* 7. & 8. 3 Mutari militia Eccleſiaſtica, ſeu ſacra in civilem poteſt. 4 Eccleſiecdici, de quibus adde *l.* 42. §. 9. *in pr. C. de Epiſc. & cleric.* 5 1. *quæſt.* 3. *c. ſalvator.* 8. 6 V. ff. *de off. præſ. prat. Orientis & Illyr. & tit. de off. præſ. prat. Afric.* 7 §. 4. *in fin.* C. *h. t. & Nov. Leon.* 8. *in fin.* 8 Solent imperatores Epiſcopis cœleſtes pœnas primum, deinde humanas proponere ac minari. 9 V. 2. *q.* 8.

10 16. *C. Th.* 2. 5. *Decr.* 7. 5. *Synopſ. Baſil.* 2. *c.* περὶ αἱρετικῶν. 4. & 6. Harm. 11. adde *Nov.* 45. *Nov.* 109. *Nov.* 132. 1. Papo. *Arreſt.* 2. Clar. 5. *ſent.* §. *hæreſis.* Boſſ. *tit.* 27. Goth. Vide etiam Menoch. *de arbitr. jud. caſ.* 372. Brun. *tract. de hæret.* S. L.

11 1. *Ecl.* 1. *c.* 25. περὶ μανιχαίων. 12 *Novell.* 45. *in pr.* 129. 144. 13 Imperatori Conſtantino M. ſc. tribuenda, *ut C. Th.* 14 Id abeſt a *C. Theod.* 15 *l.* 1. *C. Th. de hæreticis lib.* 16. Eccleſiaſticis data privilegia ad hæreticos non pertinent. *Novell.* 109. *c.* 1. 16 Sic alibi, *Novell.* 42. hæreticos odio proſequimur. 17 De quo in *l.* 12. ff. *qui potiores.* adde *Nov.* 109. 18 Sumpta ex initio *l.* 5. *C. Theod. h. t. ad Heſperum.* 19 Sumpta ex *l.* 24. *C. Theod. h. t. ad Rufinum præf. prat.* 20 Eadem culpa eſt, prohibita diſcere ac docere. *l.* 8. ff. *de maleſic. & math.* 21 Nemo fidem annunciare poteſt, quam non habet. Nemo creare epiſcopum poteſt, qui ipſe epiſcopus non eſt, 16. *C. Th.* 5. *l.* 22. *l.* 24. 22 Hinc conſequi volunt gloſſographi denarium falſum non eſſe denarium: vide Doctor. *in l. eleganter.* §. *ſed qui reprobos. ff. de pignor. act.* atque ita etiam decidit Bartolus *in l. lecta. in princ. ff. ſi cert. petat.* reprobam pecuniam non liberare ſolventem. *Mod.* 23 Lex eſt 28. *C. Theod. ad Aurel. proconſ. Aſiæ.* 24 Hæreticus eſt, qui levi argumento a judicio & tramite Catholicæ religionis deviat: ut hic, omnis non orthodoxus, vid. *l.* 12. *in pr.* ff. *h. t.* aliam definitionem vid. *in Novell.* 109. *in pr. verſ. hæreticos, cauſ.* 24. *quæſt.* 3. *c. hæreſis* 27. & *ſeq.* Certe a pertinaci ſpiritu & opinione ſingulari hæretici dicuntur. v. Tert. *lib. de præſcr.* His affines ſchiſmatici: inter utroſque tamen aliquid intereſt 1. *cauſ.* 24. *quæſt.* 3. *c. inter hæreſim.* 26. 25 Ab articulis fidei, vel a decretis & canonibus conciliorum. 26 *l.* 3. *C. Theod. h. t.* adde *Nov.* 37. & 132. *l.* 2. C. *de ſum. Trin.* 27 16. *Theod.* 5. 30. *l.* 15. C. *de Epiſc. & cler. l.* 5. ff. *de pagan. & Samarit. Novell.* 37. §. *nulla. Novell.* 131. *c.* 14. *Nov.* 132. 28 C. 1. Synodi Laodicenæ ἐν τῷ διακονικῷ. In decanicis habentur conventus, & in ea etiam conjici ſolent res pretioſæ. vid. Cujac. *ad Nov.* 79. *c.* 3. 29 Decanonica *l.* 20. *C. Theod. l.* 16. *tit.* 5. De decanicis vid. quæ ſcripſi ad *Nov.* 79. *c.* 3. *in fin.* 30 Fiſco noſtro adcorporandis; ita legitur *d. l.* 20. 31 Litaniam faciendam *d. l.* 20. Litaniæ ſunt preces, quæ vel die vel nocte fiunt. *Nov.* 123. *c.* 32. vel proceſſus ſacri. 32 Vel interdiu. *d. l.* 20. 33 *I. P. C. Theod.* 34 *l.* 40. *C. Th. h. t.* Manichæi a Manete velut nova & inopinata prodigia in hunc mundum de genere Perſico prodierunt. *Dioclet. & Maxim. in C. Greg.* Fulgentius 1. *ad Traſim.* Manes in Chriſto carnis phantaſiam credere maluit, quam naturam: de Manichæis vid. Auguſt. 10. Epiphan. 2. *tom.* 2. *hær.* 66. 35 Vid. Auguſt. *tom.* 2. *adverſ. Donatiſtas.* 36 Etiam hæreticis. 37 Manetis hæreſis & Donati publicum crimen eſt. 38 Religioni illata injuria ad omnes pertinet. 39 Ceduntne fiſco? non cedunt, ſed proximis ad ſecundum usque gradum. *d. l.* 40. idem quoque extare in Baſilicis refert Cujac. 12. *obſ.* 30. Solos liberos poſtea excipi animadverti in *l.* 15. ff. *h. t.* 40 Manichæi & Donatiſtæ donationum & ſucceſſionum incapaces. De Donatiſtis vid. Auguſt. contra 1. epiſt. Parmeniani, *l.* 54. *C. Th. de hæreticis.* 41 Id eſt, poſt mortem. 6. *Harmen.* 11. Goth. Licet ordinarie crimina mortalitate extinguantur, tamen hic eſt caſus, quo poſt mortem accuſatio inſtitui poteſt. Adde *l. ult. ff. ad leg. Jul. majeſt. l. ex judiciorum. ff. de accuſat. l. ult.* ff. *Si reus vel accuſator. l. Apoſtat.* ff. *de Apoſtat.* De jure Canonico vide *can. ult. cauſ.* 33. *q.* 2. *cap. ſi quis.* 5. *extr. de hæretic. can. ne quid. diſt.* 88. *can. placuit.* 24. *q.* 4. *can. ſi Epiſcopum.* 17. *q.* 7. Anſ. 42 Excommunicantur etiam nonnulli poſt mortem. 24. *q.* 2. *can. ſane profertur.* 6. 43 Argumentum a majeſtate terrena ad cœleſtem ſumptum obſerva. 44 Dummodo defuerint proximi ad ſecundum gradum. v. Cujac. 12. *obſerv.* 30. 45 *l. ult.* ff. *familiæ erciſc.* 46 Ultimæ voluntatis plures ſunt ſpecies, vid. Manticam 1. *de conjecturis ultimarum voluntatum.* 47 Quod nomine proprio non poſſit exprimi. 48 Et ita forte intelligenda eſt lex 15. ff. *h. t.* Solet enim pœnitenti ignoſci. ff. *h. t.* 4. *q.* 3. *c. ſi habes. l.* 28. ff. *de appell.* 49 Plenior extat hic locus, *l.* 40. *C. Th. h. t.* 50 Qui ſciens Donatiſtam & ſimiles domo excipit, punitur. 51 Ex hac Authentica Fridericum Imperatorem fuiſſe deſtructum a Papa refert Baldus hic. Ex hac namque authentica Papam regnum Siciliæ Carolo Andegavenſi donaſſe.

De credentibus, receptatoribus, defenſoribus, & fautoribus hæreticorum.

Nova conſtitutio Friderici Imp. de ſtatut. & conſuet. §. credentes. collat. x. conſt. fin. p. 744.

CRedentes præterea, receptatores [1], defenſores & fautores hæreticorum damnamus, firmiter ſtatuentes, ut ſi poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, ſatisfacere contempſerit intra annum, ex tunc ipſo jure ſit infamis, nec ad publica officia, ſeu conſilia, vel ad eligendum aliquos adhibeatur, neque ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hereditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ei ſuper quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quod ſi forte judex extiterit: ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si vero fuerit advocatus: ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio: inſtrumenta per ipſum confecta nullius penitus momenti cenſeantur.

Ne hæretici in loco Romano conveniendi morandive facultatem habeant. De Manichæis pellendis, & ultimo ſupplicio tradendis. Confirmatio legum contra hæreticos latarum. De donationibus. De ultimis voluntatibus. De ædificiis. De procuratore. De auxilio civili, militari, curiarum, defenſorum, judicum. De militia, & variis pœnis. De beneficio adverſus leges impetrato.

5. Impp. [2] THEOD. & VALENTINIANUS C. Florentio P. P.

ARiani, & [3] Macedoniani [4], Pnevmatomachi [5], Apollinariani [6], Novatiani [7], ſeu Sebatiani [8], Eunomiani [9], Tetraditæ, ſeu Teſſareſcædecaditæ [10], Valentiniani [11], Pauliani [12], Papianiſtæ, Montaniſtæ [13], ſeu Priſcillianiſtæ [14], vel Phryges [15], vel Pepuzitæ [16], Marcioniſtæ [17], Borboritæ [18], Meſſaliani [19], Euchitæ [20], ſive Enthouſiaſtæ [21], Donatiſtæ [22], Audiani [23], Hydroparaſtatæ [24], Taſcodrogitæ [25], Batrachitæ [26], Hermogeniani [27], Photiniani [28], Pauliniani, Marcelliani [29], Ophitæ [30], Encratiſtæ [31], Carpocratitæ [32], Saccophori, & qui ad imam usque ſcelerum nequitiam pervenerunt Manichæi [33], nusquam in Romanum [34] locum conveniendi morandique habeant facultatem: Manichæis etiam de civitatibus pellendis, & ultimo ſupplicio tradendis: quoniam his nihil relinquendum loci eſt, in quo ipſis etiam elementis fiat injuria. † Cunctis quoque legibus quæ contra eos cæteroſque, qui noſtræ fidei refragantur, olim diverſiſque temporibus latæ ſunt, ſemper viridi obſervantia valituris, ſive de donationibus in hæreticorum conventicula (quæ ipſi audacter Eccleſias nuncupare conantur) factis, ſive ex ultima voluntate rebus qualitercumque relictis, ſive de privatis ædificiis, in quæ domino permittente vel connivente convenerint, venerandæ nobis Eccleſiæ vindicandis: ſive de procuratore, qui hoc neſciente domino fecerit, decem librarum auri multam, vel exilium, ſi ſit ingenuus, ſubituro: metallum vero poſt verbera, ſi ſervilis conditionis ſit. † Ita ut nec in publicum convenire locum, nec [35] ædificare ſibi quaſi [36] Eccleſias, nec ad circumſcriptionem legum quicquam meditari valeant, omni civili & militari, curiarum etiam, & defenſorum, & judicum ſub viginti librarum auri interminatione prohibendi auxilio. Illis etiam omnibus in ſua manentibus firmitate, quæ de militia pœniſque variis, deque diverſis ſunt hæreticis promulgata: ut nec ſpeciale quidem beneficium adverſus leges valeat impetratum. Dat. *Conſtantinop.* 3. Kalend. Jun. FELICE & TAURO CONSS. 428.

De nominibus hæretic. 1. De lib. Neſtorii. De diſputationibus. De conventicul. ſanctio.

6. Iidem AA. ad Leontium P. Urbi.

DAmnato [37] portentoſæ ſuperſtitionis auctore Neſtorio nota congrui [38] nominis ejus inuratur gregalibus, nec Chriſtianorum appellatione abutantur: ſed quemadmodum Ariani ab [39] Ario, lege divæ memoriæ Conſtantini ob ſimilitudinem impietatis: Porphyriani a Porphyrio [40] nuncupantur: ſic ubique participes nefariæ ſectæ Neſtorii, Neſtoriani vocentur: ut cujus ſcelus ſunt in deſerendo Deum imitati, ejus vocabulum jure eſſe videantur ſortiti. §. 1. Nec vero impios libros nefandi & ſacrilegi Neſtorii adverſus venerabilem orthodoxorum ſectam decretaque ſanctiſſimi cœtus antiſtitum Epheſi habiti ſcriptos habere, aut legere, aut deſcribere [41] quisquam audeat, quos diligenti ſtudio requiri ac publice comburi [42] decernimus, ita ut nemo in religionis diſputatione [43] aliquam ſupradicti nominis faciat mentionem: aut quibusdam eorum habendi concilii gratia, in ædibus aut villa aut ſuburbano ſuo, aut quolibet alio loco conventiculum clam aut aperte præbeat: quos omnes cœtus celebraudi licentia privari ſtatuimus. Scientibus univerſis, violatorem hujus legis publicatione bonorum eſſe coërcendum. Dat. 3. Kal. [44] Auguſt. *Conſtantinop.* THEODOSIO XV. VALENTINIANO IV. AA. CONSS. 435.

De muneribus.

7. Iidem AA. Florentio P. P.

CUriales [45] omnium civitatum oneroſis, quinetiam militiæ, ſeu diverſis officiis facultatum & perſonalium munerum obligatos, ſuis ordinibus cujuſcunque ſectæ [46] ſint, inhærere cenſemus, ne videamur hominibus execrandis contumelioſo ambitu immunitatis beneficium præſtitiſſe, quos volumus hujus conſtitutionis auctoritate damnari. Dat. Prid. Kal. Febr. THEODOSIO A. XVI. & Feſto CONSS. 439.

De Apollinariſtis ſeu Eutychianiſtis.

8. Impp. VALENT. & MARCIANUS AA. Palladio P. P.

QUicunque in hac ſacra [47] urbe, vel Alexandrina, vel in omni Ægyptiaca diœceſi, diverſiſque aliis provinciis Eutychetis profanam perverſitatem ſequuntur, & ita non credunt, ut trecenti decem & octo ſancti Patres tradiderunt, catholicam fidem in Nicæna civitate fundantes: centum quoque & quinquaginta alii venerabiles Epiſcopi, qui in alma urbe Conſtantinopolitana poſtea convenerunt: & ſicut [48] Athanaſius, & Theophilus, & Cyrillus ſanctæ recordationis epiſcopi Alexandrinæ civitatis credebant, quos etiam Epheſina ſynodus (cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit, in qua Neſtorii error expulſus eſt) in univerſis ſecuta eſt, quos & nuper venerabilis Chalcedonenſis ſynodus eſt ſecuta, prioribus conciliis ſacerdotum ex omni prorſus parte conſentiens, nihilque adimens ſacroſancto ſymbolo, neque adjiciens, ſeu Eutychetis dogmata funeſta condemnans: ſciant ſe eſſe hæreticos [Apollinariſtas:] Apollinaris enim facinoroſiſſimam ſectam Eutyches & Dioſcorus [49] mente ſacrilega ſunt ſecuti. §. 1. Ideoque hi homines, qui Apollinaris vel Eutychetis perverſitatem ſequuntur, illis pœnis, quæ divorum retro Principum conſtitutionibus contra Apollinariſtas, vel ſerenitatis noſtræ poſtmodum ſanctiones contra Eutychianiſtas, vel hac ipſa Auguſtiſſima lege contra eoſdem decretæ ſunt, noverint ſe eſſe plectendos. §. 2. Idcirco Apollinariſtas, hoc eſt, Eutychianiſtas (quibus etſi eſt in appellatione diverſitas, tamen eſt in hæreſis pravitate conjunctio, & diſpar quidem nomen, ſed idem [50] ſacrilegium) ſive in hac alma urbe, diverſiſque provinciis, ſive in Alexandrina civitate, ſive intra Ægyptiacam diœceſin ſunt, [&] neque ita credunt, ut prædicti venerabiles Patres credebant, neque viro reverendiſſ. Alexandrinæ urbis antiſtiti Procerio [51] fidem orthodoxam tenenti communicant, & presbyteros, aliosve clericos creare, & habere prohibemus: ſcientibus tam his Eutychianiſtis, & Apollinariſtis, qui auſi fuerint cuiquam epiſcopi, vel presbyteri, vel clerici nomen imponere, quam his qui paſſi fuerint impoſitum ſibi nomen ſacerdotale retinere, pœnam exilii cum facultatum ſuarum amiſſione ſe ſubituros. §. 3. Univerſi præterea Apollinariſtæ vel Eutychianiſtæ non eccleſias, non monaſteria ſibi conſtruant, paraſynaxes [52], & conventicula tam diurna quam nocturna non contrahant [53]: neque ad domum vel poſſeſſiones cujusquam neque ad monaſterium vel quemcunque alterum locum operaturi ſectæ funeſtiſſimæ congregentur. Quod ſi fecerint, & hoc factum fuiſſe domino volente conſtiterit: poſt rem in examine judicis approbatam, domum [54] vel poſſeſſionem ejus in qua convenerint, vel monaſterium ejus civitatis orthodoxæ eccleſiæ, in cujus territorio eſt, jubemus addici. Si vero ignorante domino, ſciente vero eo qui penſiones domus exigit, vel actore [vel conductore] prædii paraſynaxes, & conventicula interdicta collegerint, conductor vel procurator, ſive actor, vel quicunque eos in domum vel poſſeſſionem, vel monaſterium receperint, ac paſſi fuerint illicitas paraſynaxeis [55] conventusque celebrari, ſi viles & abjectæ ſint conditionis, fuſtibus [56] publice & in pœnam ſuam, & in aliorum coërceantur exemplum: ſi honeſtæ vero ſint perſonæ, decem libras auri, multæ nomine fiſco noſtro cogantur inferre.

§. 4. Nullum præterea Apollinariſtam vel Eutychianiſtam ad aliquam jubemus aſpirare militiam. Et ſi inventi fuerint militari cingulo ſoluti: honeſtorum hominum & palatii communione priventur. Nec in aliqua nec in qua nati ſunt civitate, vel vico, aut regione verſentur. Si qui vero in hac alma urbe nati ſunt, tam ſacratiſſimo comitatu, quam omni per provincias metropolitana civitate pellantur. §. 5. Nulli inſuper Eutychianiſtæ vel Apollinariſtæ publice vel privatim convocandi cœtus, vel circulos contrahendi, & de errore hæretico diſputandi [57], ac perverſitatem facinoroſi dogmatis adſerendi tribuatur facultas. † Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonenſem Synodum liceat aliquid, vel dictare vel ſcribere, vel edere, atque emittere, aut aliorum dicta vel ſcripta ſuper eadem re proferre. Nemo hujuſmodi habere libros [58], & ſacrilega ſcriptorum audeat monumenta ſervare. Quod ſi qui in his criminibus fuerint deprehenſi perpetua deportatione damnentur. Eos vero qui diſcendi [59] ſtudio adierint de infauſta hæreſi diſputantes, decem librarum auri, quæ fiſco noſtro inferen-

1 Confer *tit. ff. de receptatorib.* puniuntur enim eadem pœna, qua ii, qui recepti ſunt. *Anſ.* 2 Sumpta & interpolata eſt hæc lex ex *l.* 65. *C. Theod. h. t.* 3 De quibus v. Epiphanium 2. *tom.* 3. *hæreſ.* 69. De Seminariis v. etiam eundem 3. *tom.* 1. *hæreſ.* 73. 4 De Macedonio vide Theodorum 2. *hiſt.* 6. 5 De quibus vide Epiphan. *l.* 3. *tom.* 1. *hæreſ.* 73. 6 De Apollinariorum libris v. Euſeb. 4. *hiſt.* 26. 7 De Novatianis v. Euſeb. 7. *hiſt.* 7. 8 Qui & Sabatiani a Sabatio Novatianorum presbytero. Socrat. 7. *hiſt.* 5. Sozom. 7. *cap.* 18. 9 De Eunomianis, v. Rebuff. 1. *hiſt.* 25. Theod. 4. *hiſt.* 29. Sozom. 5. *c.* 27. 10 De quibus vide Epiphan. 2. *tom.* 1. *hæreſ.* 50. & 24. *q.* 3. *can. quidam* 39. §. *Teſſareſcadecaditæ.* 11 V. Tertull. *adverſ. Valent.* & de iiſdem Epiphanium 1. *tom.* 2. *hæreſ.* 31. quos Gnoſticos vocat. 12 *A Paulo Samoſateno* 24. *q.* 3. *can. quidam* 39. §. *Pauliani.* de quibus v. Epiphan. 2. *tom.* 2. *hæreſ.* 65. 13 A Montano dicti *can. quidam.* §. *Montani.* iidem Phryges ſeu Phrygaſtæ & Cataphryges *d. can. quidam.* §. *Cataphrygis.* v. Epiph. 2. *tom.* 1. *hæreſ.* 48. 14 A Priſcilla, quam ut Prophetiſſam jactabant, cum Maximilla, Epiphan. *dicto loco*, & *hæreſ.* 49. 15 *ſupr. dixi.* 16 A Pepuza urbe, in qua Priſcilla, *de qua ſupra dixi*, aut (ut alii volunt) Quintilla ſuas prophetias inchoavit. v. Epiph. 2. *tom.* 1. *hær.* 49. 17 *d. can. quidam.* §. *Marcioniſtæ.* adde Tertull. *adverſus Marcionem*: Epiph. *tom.* 3. *hær.* 42. Iidem Marchioniſtæ *in l.* 65. *hæret.* 16. *C. Th.* 5. 18 Qui & Borbotiani 16. *C. Th. l. hær.* 65. vel ut alii Codices habent 56. Coddiani, Stratiotici, Phibionitæ, Zoaclei, Barbolitæ etiam appellati ſunt. v. Epiphan. 1. *tom.* 2. *hær.* 36. Goth. Βορβορῖται ſunt hæretici dicti quaſi cœnoſi, βόρβορος enim ſignificat ſordes vel cœnum ſive lutum. Hi homines deliciis ſæculi, & concupiſcentiis fœminarum dediti, non credebant futurum judicium extremum. *Anſ.* 19 Iidem Meſſaliani, de quibus v. Epiphanium 3. *tom.* 2. *hæreſ.* 80. forte legendum, Meletiani: de quibus v. Epiph. 2. *tom.* 2. *hæreſ.* 68. 20 Iidem qui & Meſſaliani, quaſi dicas precatores. v. Epiph. *d. l.* 21 Enthyſiaſtæ *d. l.* 65. *C. Th.* & male: Enthouſiaſtæ dicti, quod ſe correptos numine fingerent. Theod. 4. *hiſt.* 11. 22 V. *l.* 4. *ſupr. h. t.* qui & Donatiani, Epiph. 2. *t.* 1. *hær.* 59. *in fin.* 23 Qui & Odiani, Epiphan. 3. *tom.* 1. *hæreſ.* 70. adde Theod. 4. *hiſt.* 10. 24 Hydroparaſtatæ aquam pro vino ad communionem exhibebant: iidem Aquarii. 25 Taſcodrogitæ, qui & Taſcodrugitæ. Epiphan. 2. *tom.* 1. *hær.* 48. quaſi diceres Perticonaſati, aut Perticotoſtrati, *ib.* Iidem Aſcodrogitæ, *in l.* 18. ff. *h. t.* 26 Forte legendum Hydracitæ, de quibus v. Epiphanium 2. *tom.* 2. *hæreſ.* 67. 27 Hermogeniani, v. Tertull. *adverſus Hermogenem d. cap. quidam.* §. *Hermogeniani.* 28 De quibus vid. Epiphan. 3. *tom.* 1. *hæreſ.* 71. a Photino Gallogræciæ Epiſcopo: *d. c. quidam.* §. *Photiniani.* 29 De Marcellianis v. Epiphan. 3. *tom.* 1. *hæreſ.* 72. 30 De Ophitis, v. Epiph. 1. *tom.* 3. *hæreſ.* 37. 31 Qui & Encratitæ, de quibus vid. Epiphan. 1. *tom.* 3. *hæreſ.* 46. & 2. *tom.* 1. *hæreſ.* 47. 32 De quibus vide Epiphanium 1. *tom.* 2. *hæreſ.* 27. male apud Haloandrum legitur, *Apotactitæ.* 33 De Manichæis v. Epiphanium 2. *tom.* 2. *hæreſ.* 66. 34 Romano loco. Extra ſuum territorium Imperator nihil juris habet. adde *l.* 1. C. *de ſumma Trinit.* 35 V. Molinæum *de uſuris quæſt.* 20. *num.* 214. 36 V. *l.* 8. §. 3. ff. *h. t.* 37 *l. ult. C. Th. h.t.* adde *c. fraternitatis* 4. *in fin. extr. de hæret.* 38 Neſtoriani a Neſtorio ſuo autore dicuntur. 39 Hæretici a ſuis ſectæ auctoribus denominantur: quod merito fuit conſtitutum. Nullum enim genus exortum eſt errorum, quod ita ſit repertum Chriſtianæ religioni adverſari, ut non affectaverit atque ambiverit Chriſti nomine gloriari. Auguſt. *tom.* 4. *lib. de fide inviſibili.* Adde Tertull. *c.* 3. *Apologetici.* & *Novellam* 109. 40 *Nov.* 42. *c.* 1. §. 2. 41 De deſcriptione, v. *l.* 5. §. 9. *ff. de injur.* 42 *l.* 8. §. *ult. l.* 16. §. 2. ff. *h. t. l.* 3. §. 1. C. *de ſum. Trin. l.* 10. *in pr.* C. *de Epiſc. aud.* §. 21. C. *conſt. ad Magnum Senatum. l.* 4. §. 1. *ff. famil. erciſc.* Adde *Act.* 19. *verſ.* 18. Livium 29. Paul. 5. *ſent.* 23. §. 12. Adde eundem *lib.* 5. *tit.* 2. §. *ult. l.* 5. ff. *de maleſ. Nov.* 42. *c.* 1. §. 2. & *c.* 59. *Apoſtolorum.* 43 Vid. C. *de ſumma Trinit.* 44 *Non. C. Theod.* 45 Sumpta hæc lex eſt ex Novell. Theodoſii *de Judæis, Samaritanis, hæreticis & paganis* 3. §. & *quon. decet.* 46 *l.* 6. ff. *h. t.* & ſuperſtitionis. *l.* 12. ff. *h. t. l.* 49. ff. *de decurion. Nov.* 45. *ubi* v. Cuj. *ad Nov.* 109. *c.* 1. 47 Id eſt, Conſtantinopolitana. 48 Adde *l.* 3. §. 3. C. *de ſumma Trinit.* 49 *Nov.* 109. *in princ.* 50 Hoc videtur innuere utroſque carnis Chriſti veras proprietates ſuſtuliſſe. 51 Proterio. 52 Hæretici Eccleſias non habent, ſed quaſi *l.* 5. *in fin.* C. *h. t.* non συνάξεις, ſed παρασυνάξεις, *ut hic*, & ff. *h. t.* non baptiſmata, ſed parabaptiſmata, *l.* 14. ff. *h. t. Nov.* 37. *verſ. Hæreticus.* & *Nov.* 132. exiſtimantur, ſed non ſunt eccleſiæ: congregationes eorum illicitæ dicuntur, *l.* 2. *in pr.* C. *de ſumma Trinitate.* adde *Cujac.* 53 Id eſt, non habeant, vel ut mox ſequitur, non colligant. 54 Domus in qua conventicula illicita habita ſunt, monaſterio addici ſolita, ut hic, & *l.* 3. C. *h. t. l.* 10. ff. *h. t. Novell.* 38. *cap.* 6. *verſ. curiales*, & 131. *c.* 8. *Gloſſ. diſtinct.* 30. *c. ſi quis extra Eccleſiam.* 11. 55 Vide C. *h. t.* 56 Hæreticos non ſemper capitali ſupplicio affectos fuiſſe, hinc poſſis colligere. 57 Vid. *l.* 4. C. *de ſumma Trinit.* 58 Vide *l.* 6. §. 1. C. *h. t.* 59 Diſcens illicita punitur.